

618. Quae omnia (617.) orta ex febre (581. 587.) ut sua causa, hac ablata (594. 595. 598. ad 617.) cessabunt; adeoque, si ferri queunt tam diu sine periculo vitae, singularem curationem vix requirunt.

619. Quin saepe oriuntur ex conatu vitae se disponentis ad crisin, vel ad materiae criticae excretionem, tum hanc praecedunt, comitantur, sequuntur, nec turbari debent.

620. Si vero intempestiva, nimis saeva, quam ut ferri a vita possint, aut ab aegri patientia, vel aliud gravius malum productura sunt, tum singula sunt lenienda suis remediis propriis, habita semper ratione causae, (586.) & status (590.) morbi ipsius.

FRIGUS FEBRILE.

621. **F**rigus in febrium acutarum initiis ponit attritum liquorum in se mutuo. & in vasa, minorem; motum circulatorium imminutum; liquidum ad extrema stagnans; cor minus contractum; minus evacuatum; spiritus cerebelli minus influentes.

622. Efficit, si diu manet validum, polyposas in vasis majoribus, circa cor, concretiones; in minoribus vero, expresso suo liquido, evacuationes; hinc multa, & gravia mala in utrisque.

623.

623. Hinc patet, quid designet, quid praefagiat? & cur, quo majus initio frigus, eo periculosior febris? in peste incipiente frigus summum, praegressa calor maximus?

624. Id frigus omni eo, quod valide stimulat, quo unque demum titulo, tentatum dedit saepe insanabilem postea inflammationem. Hinc salina acria, aromatica, oleosa, vesicantia, & similia, damnosa sunt.

625. Optime autem curatur potu aquae calidae nitrosae cum paucillo mellis & vini; balneo, vapore, fotu, lotionem per similem liquorem; frictione blanda.

626. Quibus (625.) statim applicatis saepe maxima mala illico curantur. (622.)

TREMOR FEBRILIS.

627. Tremor ponit musculorum vacillationem, inter tonum, & laxationem, causas tendentes & laxantes brevi, & involuntarie, sibi mutuo succedentes; influxus arteriosos & nervosos nunc contingentes, nunc absentes; adeoque initio morbi quietem utriusque liquidi; in fine saepe nimiam horum absentiam, post dispendia nimis magna.

628. Efficit diu perseverans impedimen-

I 5

ta